



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Præfatio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

P R Æ F A T I O
A D L E C T O R E M.

H Didit P. Matthæus p. m. frater meus germanus, cum facultate Superiorum, typis Oenipontanis Anno M. DC. LXI. Libellum, præfixo hoc titulo: *Instructio & Praxis rectè & expeditè confitendi*. Scriptionis finis erat, ut confitentibus velut in speculo proponerentur, quæ juvarent, ut, cum se de suis maculis & nævis accusant, neque sibi, neque Confessario, neque alijs, qui ad idem Sacramentum accedere desiderant, impedimento sint, vel oneri, aut molestiam creent. Id, quod sanè non infrequenter contingit; neque aliâ de causâ, quàm quòd non sciant modum, se suâque conscientiam explicandi & expediendi. Opusculum hoc non ignobiles Doctores, & cum illis nominatissimus in his terris Theologus R. P. Georgius Gobat, in suis Libris sæpius cum insigni laude Autoris, & non vulgari commendatione Operis allegant; Vox quoque populi, quam DEI vocem solemus dicere, non obscure videtur approbare; cum enim post non longi temporis spatium impressa deficerent exempla, certatim distracta, tantum in emptoribus relictum desiderium est, ut nonnemo Religiosorum Ordinis celeberrimi, quia nullum ampliùs comparare pretio potuit, commodato acceperit ab alio, & amanuensi conducto magnam partem exseribi voluerit. Quam ob rem Autor ad alteram editionem faciendam animum adjecit, locupletaturus eam non modicis augmentis. Jàmque opus excrefcere cæpit, ut videretur à primo diversum futurum; cum antè quàm ultimam adderet manum, mors ultima linea rerum intempestivè superveniens, bene cæpta abruptit. A Superioribus deinde mihi mandatum, ut semen fratris suscitarem. Feci, ut potui, quod debui; & Librum priorem multis adhuc numeris imperfectum perfeci; posteriorem ex integro addidi, & utrumque uno nomine TRIBUNAL POENITENTIÆ inscripsi. Ansam Nomenclaturæ præbuit Tridentinum Concilium, quod *Sess. 14. cap. 2. & 6. & can. 9.* docet, Sacramentum hoc à CHRISTO institutum fuisse per modum *Judicij*. Quàm longè autem Tribunal & Judicium fori interni distet ab eo, quod in foro exercetur externo, vel solus personarum ad utrumque concurrentium numerus suâ diversitate satis indicat. Ad istud enim præter Judicem & Reum

Prefatio ad Lectorem.

adesse solent Assessores seu Consiliarij, Accusatores, & Testes; Advocati item & Procuratores, nec non Tabelliones, & demum Executores sententiarum. Illud verò duas duntaxat inter personas, Judicis & Rei, neque palam, sed clam, peragitur. Judex est Confessarius; Pœnitens autem suimet ipse Accusator est, & Testis; nec ullum Patronum seu Advocatum postulat. Sed nec Tabellione hic opus est, qui ea, quæ Reus fatetur, adnotet. Executor demum est DEUS, qui ratum habet in Cœlis, quidquid Sacerdos, tanquam ejus Vicarius, in terris legitimè pronuntiaverit, juxta promissionem, *Matth. 18. v. 18.* factam: *Quacunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo; & quacunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* Quin & ipse Pœnitens Executorem agit, dum, quæ Confessarius in delictorum vel vindictam vel emendationem facienda injungit, peragit.

Proinde in duos etiam Libros amplissimam hujus Argumenti materiam digessi. Prior est de Pœnitente ut Reo, in quinque Partes divisus. Quarum *Prima* tractat, quæ ante Confessionem observanda sunt. *Alter*, quæ spectant ad Contritionem. *Tertia*, quæ in ipsa confessione curanda sunt; *Quarta*, quæ post Confessionem, & ad vitæ emendationem reformationemque in futurum faciunt; *Quinta* denique Regulas nonnullas dirigendis conscientijs idoneas præscribit. Posterior Liber est de Confessario ut Judice, omnia, quæ ad munus istud obeundum pertinent, quatuor Quæstionibus complectens. *Prima* illarum est de Qualitatibus Confessarij; *Secunda* de Potestate; *Tertia* de Officio; & *Quarta* de ejusdem Obligationibus. Laborem hunc nostrum & studium boni consule. Quàm fructuosum sit, opto autem esse quàm fructuosissimum, intelliges, cum ipse hoc non minùs grave, quàm utile & salutare Pœnitentiæ negotium tractabis.

